



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

12 Vtrùm si res vendita pereat, vel deterior fiat, pereat emptori, an
venditori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

lib. 6. q. 3. ar. 2. & D. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 17. §. 6. Lopez & Victoria supra. Probatum, quia hic nul- lam iniuriam facit in ipso contractu, nam vendit rem suam iusto pretio; neque per iniuriam allicit illum ad contrahendum: non enim vlllo mendacio vel fraude est causa cur emptor emat: ergo nullam hic committit iniustitiam. si enim neque in con- tractu est iniustitia, neque in modo alliciendi ad contractum, absolute nulla est hic iniustitia. Nec obstat quod non indicet vitium, quia ad id non tenetur ex iustitia, nisi emptor petat; nam exploratio rei ad emptorem pertinet. nec enim emptor merito queri potest de iniuria sibi facta per vendi- torem, qui vitium non aperuit; sed si deceptus est, sibi imputet, eo quod iudicio suo praesens, non peti- ta sententia venditoris, rem emerit. Nec obstat L. Iulianus. 13. 7. de action. empti. & L. 1. 7. de adilitio edicto, vbi statuitur vt venditor aperiat omnia vitia occulta emptori; alioquin concedi actio- nem redhibitoriam. quia vel illa lex est positua, nec locum habet nisi vbi moribus recepta: vel intelligenda quando emptor id petit: vel solum datur actio ad rescindendum, & redhibendum per sententiam Iudicis.

92 Aduerte tamen Primò, Si venditor quodam in- genio artis, vitium rexit, non excusari; quia dolus dedit causam contractui, vt dictum est. Idem di- cendum, si rem illam ponat cum aliis vitio caren- tibus, vt distingui ab emptoribus non possit.

93 Secundò, Etiam si non sit contra iustitiam non monere emptorem dum suo iudicio fidit, tamen potest esse contra charitatem; vt si videat empto- rem ex simplicitate decipi, & putet rem ei fore inutilem, quamuis aliis inutilis non sit. Quod si

Si putatur fore noxia.

94 etiam putatur fore noxia, ratione occulti defe- ctus, videtur quoque ex iustitia teneri aperire defe- ctum, saltem post contractum; vt DD. commu- niter docent: nam hoc ipso, quo rem suam expo- nit venalem cum occulto vitio, tenetur officij sui lege cauere ex parte sua, ne quis inde aliquod no- cumentum capiat; alioquin videtur causam nocu- menti dedisse: vt si vendat equum sternacem, oves interno morbo laborantes, rigna vitiosa. colligitur ex d. L. Iulianus. 7. de actionib. empti. Puto tamen ante contractum ad hoc non teneri, quando emptor suo iudicio rem emit, vt dictum est; modò illa post contractum monitione, omnia damna & incommoda possint caueri. colligitur ex Soto & Lopezio supra.

DVBITATIO XII.

Vtrum si res vendita pereat, vel deterior fiat, pereat emptori, an venditori.

95 **R**espondeo, & Dico Primo, Si res vendita pereat vel deterior fiat post traditionem, per- tit emptori, etiam si pretium nondum sit solutum. Ratio est, quia per traditionem translatus est do- minium in emptorem, res autem domino perit. vide supra c. 3. dub. 3. & infra dub. 19.

96 Dico Secundò, Si pereat ante traditionem, sit- que res certa & determinata, (v. g. hic equus, hæc domus, hoc dolium vini) peracto contractu venditionis, perit emptori; vnde non tenetur venditor eius pretium restituere. Pari quoque modo eius incrementum ad emptorem pertinet.

Ita Siluester v. Emptio, num. 3. & Couarr. practic. quaestio c. 3. nu. 5. patet ex L. Quod sapè. 35. §. In his. 7. de contrahenda empt. & ex L. 1. & se- quent. C. de periculis & commodis rei vendita. Ratio est, quia contractus venditionis rei determi- nata, absolute celebratus, sufficiens est Iure geni- tium ad transferendum dominium: quod autem re ipsa dominium non transferat ante traditionem, est ex dispositione Iuris ciuilibus, quod ob certas causas ita statuit, vt dictum est c. 3. dub. 3. noluit tamen hoc Ius impedire, quin ante traditionem omnia rei commoda & incommoda ad emptorem pertinerent, perinde ac si dominium translatum esset, itaque etiam impeditur dominium, non tamen impedit effectum, qui ex dominio sequi solet. Idque merito, quia mens contrahentium est, vt sta- tim res cum sequentibus eius euentis ad empto- rem pertineat, nisi aliter expressè sit conuenitum. Si tamen culpa venditoris, qui ex officio tenetur rem custodire, donec eam tradat emptori, deter- rior fiat, vel pereat; ipse tenetur. Similiter si sit in mora tradendi, & interim pereat vel deterior fiat; nisi similiter deterior futura fuisset apud empto- rem; vt rectè docet Siluester supra.

Dico Tertio, Si autem res sit indeterminata? (vt 97 si quis emat 10. modios tritici ex messe vel grana- rio, 10. oves ex grege) vel si emat rem determina- tam, sed ad mensuram, (v. g. totum aceruum tritici vno floreno in singulas mensuras) tunc ante rei traditionem vel mensurationem, periculum in- teritus pertinet ad venditorem. Ita Siluest. supra, Couarr. n. 7. & expressè habetur d. L. Quod sapè. §. In his. 7. de contrahenda emptione. Ratio est, quia quando fit emptio rei indeterminata, vel ad mensuram, intelligitur tacita conditio, si res tra- datur; vt dicitur in illa lege. vnde nisi sequatur tradi- tio vel mensuratio (in qua continetur quædam traditio, cum coram emptore fieri debeat) emptor non tenetur; quia non censetur perfecta venditio, cum conditio non sit impleta.

Aduerte tamen, si res fiat interim melior, vel deterior absque culpa & mora venditoris, com- modum & incommodum pertinere ad emptorem. Ratio est, quia emit rem prout erit tempore tradi- tionis, exponens se fortuitis euentibus. vide Silue- strum & Couarr. supra.

DVBITATIO XIII.

Vtrum venditor possit percipere fructus vel utilitates rei à se vendita, donec solvatur pretium.

99 **C**ouarruias lib. 3. variarum c. 4. nu. 1. & se- quentibus, affirmat, fructus post venditio- nem natos, deberi venditori, donec emptor pre- tium soluerit: quod si res tradita fuerit, & emptor hos fructus percipiat, ipsum teneri eos compen- sare pecunia, quia reuera ad venditorem perti- nent; etiam si emptor non fuerit in mora, vt dum ei concessus est terminus ad soluendum. probat ex L. Curabit. 5. C. de action. empti; vbi dicitur, Curabit Praeses Prouincia compellere emptorem, qui nactus possessionem, fructus percipit, partem pretij, quæ penes se habet, cum vsuris restituere, quas & per- ceptorum fructuum ratio, & minoris ætatis fauor, licet